



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. De Moribus incolarum Regni Neapolitani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NUM. 5. *De Moribus incolarum Regni Neapolitani.*

INCOLÆ huius Regni pessimè audiunt apud reliquos Italos, unde prouerbum, Regnum Neapolitanum *Paradisum* esse, sed incolas *Demonas*. Generosi sunt omnes, & fortes, atque luculentam Hispanorum Regi nauant operam in omnibus bellis, & si hi deficerent equestris militia Hispanorum planè iaceret. Nobiles hinc ferè otiosi viuunt: Omnes eleganter vestiti incedunt. Nusquam plures meretrices quàm Neapoli. Mulieres tam splendidè vestitæ, vt nobiles à plebeiis vix distinguantur. Frugales sunt Neapolitani, & parci, sed cùm res exigit splendidi supra vires atque fortunas. In seditiones propendent, quibus ætate nostrâ iugum Hispanicum tantùm non excusserunt. Lingua Neapolitana inquinatior; sed longè magis Calabra; turpissima, & ridicula Apula.

CALABRI astuti creduntur omnes, malitiosi, pertinaces, quæ vitia auxere quoque Albani, qui ex Græciâ inter hos sparsi sunt. Ingenio sunt peracri, corpore compacti, & expeditissimi ad longum iter peruolandum.

APVLI robusti omnes, atque proceri, ad bella nati, & satis fideles, sed ingenij obtusioris.

SAMNITES denique, seu incolæ *Aprutij*, generosi, candidi, fortes, liberales, fideles, & multùm de Gallorum moribus referunt.

Cætera quæ de iis circumferuntur satyræ potiùs videntur, quàm morum obseruationes.

NUM. 6. *Politia huius Regni.*

STATUS HVIVS REGNI. Nobilitatis hinc infinitus propemodum numerus est; recentior libellus editus Amstelodami numerat 19. Principes, Duces 25. Marchiones 37. Comites 54. Barones supra mille. Alij minorem numerum suggerunt, alij maiorem. Certè qui Gallicè editus est de Principibus Italiæ tractatus, 60. Principes suggerit, ferè centum Duces, plures Marchiones, pauciores Comites, de Baronibus cum Amstelodamensi concinit. His defunctis, nisi consanguinei sint adèd propinqui, vt iure Pragmaticæ Sanctionis succedere queant, ad Regem Hispaniæ eorum di-

CCGccc iij